



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regvlæ Societatis Iesv**

**Angeli, Bernardo d'**

**Romæ, 1616**

Breue examen quo vti debet cum ijs, qui ingredi petunt. Cap. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68329)

*Breue examen quo uti debet cum ijs, qui ingredi petunt.*

C A P. I I.

**I**N primis qui admitti vult, interrogetur decenter de quinque impedimentis essentialibus, prudenter tamen, ut ea impedimenta esse, quæ à Societate excludunt, ille non intelligat, ne verum occultandi occasionem accipiat.

**7** Si aliquod ex iis impedimentis, in quam detegeretur, non est quod ulterius procedatur, sed quoad fieri poterit, cum consolatione dimittatur: si tamen in eo dona aliqua Dei illustriora cernerentur, prius oportet rem omnem cum Superiore conferre.

**8** Si nullum tale impedimentum esset, ulterius interrogetur, an omnino decrevit seculum relinquere, quibus de causis, aut quomodo desideria hæc ei in mentem venerint, & quam dudum ea habuerit, an in hac animi sententia remissior aliquando factus fuerit, & quatenus.

**9** A quo tempore deliberaverit Societatem ingredi, & quid ipsum impulerit, ut hoc potius quam aliud institutum amplecteretur. An à quoquam, præsertim è nostris primum ad id motus fuerit. Num deliberatum ha-

H beat

In Exam. c. 2. & p. 1. c. 3. De essentialibus impedimentis interrogandi.

In Exam. c. 2. §. 7. Quid cum impedimentum innotuerit.

In Exam. c. 3. §. 13. Quærenda circa vocationem.

In Exam. c. 3. §. 14. Tempus vocationis.



beat animi propositum viuendi, & moriendi in Domino in hac Societate. Et an fuerit in eam alias admissus, & quare sit egressus.

- 10 Num habeat æs alienum, aut alias obligationes. Num morbum aliquem occultum, vel manifestum, & an hæreditarium, vel defectum in aliqua sui parte patiatur.
- 11 Interrogetur de ætate, Patria, Parentibus, & eorum conditione, an rerum temporalium penuria premantur, & an ea causa vel quacunque alia necessario ipsius opera indigeant, aut probabiliter indigere possint.
- 12 An sit ex legitimo matrimonio, num à progenitoribus iam olim Christianis, an à modernis, vel hæreticis descendat. An aliquis ex eius progenitoribus notatus fuerit, vel declaratus ob aliquem errorem contra nostram Christianam, & Catholicam Religionem.
- 13 Si literis præditus est, interrogetur, ubi eis operam dederit, quantum profecerit: ingenii autem & iudicii specimen ex sermone, & aliis conicere licebit.
- 14 Si Coadiutor est futurus, petatur de ætate, ac viribus; an omnino forte Marthæ contentus futurus sit, & num aliquam artem nouerit; & obseruetur, an ad virtutem, & deuotionem propensus sit.
- 15 Tandem curandum est, vt qui admitti desiderant, summam nostri instituti, probatio-

In Exam. c. 3.

§. 6.

Ibid. §. 8.

Quæ obligatio.

In Exa. c. 3.

§. 1.

Ibid. §. 2.

De penuria parietum, &c.

In Exa. c. 3.

§. 2.

De parentum origine.

In Exam. c. 5.

§. 1.

Circa doctrinam & prudentiam.

P. 1. c. 2. §. 2.

& 3.

Quid à Coadiutoribus perer.

P. 1. c. 4. §. 3.

Vt institutum intelligant.



bationesque; ac difficultates, quæ in eo sunt, bene intelligant. De iis vero, quæ hic interrogantur, aut de instituto explicanda dicuntur, plura, aut pauciora iuxta personarum, qualitatem, & cognitionem, inquiri, & explicari poterunt.

16 Reliqua, quæ ad officium Examinatoris pertinent, si quando cum iis, qui in prima probatione sunt, vel aliis nostris illi obeunda erunt, petat ex officio Magistri Novitiorum.

Reliqua vnde petenda.

17 Ceteri vero à Superiore designati, ut cum illis colloquantur, qui admitti petunt, iisdem fere interrogationibus utentur, exceptis iis, quæ interrogato ruborem iniicere possunt.

Eadem petent Consultores, &c.

